

ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA

H. T.

PROCANCELLARIVS
D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

THERAP. P. P. O. FACVLT. MED. DECANVS ACAD.

ET NATION. SAXON. SENIOR, DECEMVIR, MAIOR.

PRINCIP. COLL. COLLEGA, ACAD. IMPERIAL.

NATVR. CVRIOS. SOCIVS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. V. SEPT. A. R. G. MDCCLXXXIII.

INDICIT

ET SCIENTIAE NATVRALIS DVLCEDINES
COMMENDAT.

Hist. nat.

B.
284,35

PETRONIVS ARBITER in Fragm.

Quod satiare potest, diues natura ministrat.



VI

Est illa mentibus humanis innata *sciendi* cupido, ut praesentium non tantum et praeteritorum pasci ament cognitione, sed *abditis* quoque atque a vulgari sensu remota et futura acrius indagare anitantur, eorumque per noscendorum singulari prorsus ducantur, imo subinde angantur ardore. Quae, etsi quaedam ingenii nostri dici potest intemperies, in vniuersum tamen haud videtur reprehendenda, neque hinc illi in nobis restinguendi sunt igniculi, quibus ad varias res, nobis adhuc incognitas, studiosius explorandas incitamus, modo ne extra orbitam ferantur, aut illos terminos temerario molimine violare audeant, quos humanae intelligentiae attingere, neque possibile est, neque liberum. Neque enim illorum ferenda aut imitanda est, improbitas dicam an insania? qui ad rerum occultarum scientiam obtinendam,

flectere cum nequeant superos, Acheronta mouere
tentant, atque quasuis artes, vel a profana superstitionum hominum industria excogitatas, vel ex magicis, quibus nescio quae fides et virtus tribuitur, scriptis desumtas, in subsidium vocant. Quantus nonnullorum est labor, qui coelum terrae, summa imis, sacra profanis miscent, ut modo aliquam rerum sibi negatarum notitiam extricent, aut se extricasse, aliis persuadeant; qui ineptissimis atque



portentosis coeptis, plus quam popularem famam captare conantur! Sunt, qui ex astris, de suis aliorumque fati ratiocinantur, qui ab eorum configuratione, statione, coniunctione, oppositione, spemque metumque suum suspendunt, et veluti e specula quadam, omnium rerum se praevidere posse vicissitudines, arbitrantur. A coelo ad elementa progrediuntur, arcana ista ostiatim per omnes naturae tribus rimaturi. Iam ignem, lucem, aera sollicitant, iam ex aquarum fluctibus, meteoris, terrae commotionibus, rerum euentus designari existimant. Omnes animalium classes haec diuinandi licentia peruagatur, eorumque viscera lustrando, aut cum quid sinistra caua praedixit ab ilice cornix, oracula inde expectat. Et quis ceterarum, quae ex omnibus propemodum rebus capiuntur diuinationum genera, infinita fere, atque subinde ridicula, recenscat? Ex numeris, literis, nominibus, cribris, plantis, aliisque sexcentis, curiosuli isti tuto quid exsculpi posse credunt, quo indomitam istam, vana et inania sciendi ingluviem et orexin, quasi surfuribus atque carduis pascant, numquam tamen ita satiandam, quin subinde noua nascatur βελιμία. Non desunt tamen certe, qui longe nobiliore incitati desiderio, longeque laudabiliore modo, per naturae ditissima vagantur regna, non vt prouentibus istis ad ludicra abutantur, sed vt in iisdem *cognoscendis* non solum, verum etiam in *vsus saluberrimos* impendendis, sollertissimam collocent industriam. Videtur omnino iis, qui in rerum naturalium versantur studio, idem propemodum contingere, quod in sumtuosis atque lautis Syracusanorum coenis vsu venisse, LVCIANVS commemorat†, vt propter varietatem atque multitudinem suauissimarum et exquisitissimarum

† In encom. Demosth.

fimarum epularum, diu haerent, vehementerque dubi-
 tarent, quidnam in tanta iucundissimarum rerum affluentia,
 atque escarum copia deligerent. Non minus profecto, sua-
 vissimis atque varietate gratissimis epulis abundat illa scien-
 tiarum pars, quae circa rerum *in natura* contingentium
 miras versatur vicissitudines. Hic tamen diuturna haerere
 dubitatione, tanto minus erit opus, cum non solam noui-
 tatem *mirari* sufficiat, sed omni potius industria id agere
 deceat, ut, quicquid benefica natura, vel munifica subin-
 de manu ultro offert, vel inexpectatis quandoque molitur
 euentibus, auido quoque excipiatut desiderio, atque *usi-*
bus, maxime etiam medicis, prudenter adaptetur. Haec
 est illa scientiae naturalis dulcedo, illis paucissimis com-
 mendanda, quorum potissimum in eo positum esse debet
 studium, ut productis naturae adeo copiosis, in humanam
 salutem recte uti discant.

Vnde vero potius, quam a voluptatis exordiri conue-
 nient suauitate, cuius sola vox, mortalium auribus et men-
 tibus est amoenissima, maxime vero incredibili rerum vi-
 cissitudine, suauissima iucunditate sensus afficiente, com-
 mendatur. Ipse, qui in naturae secretis indefessa cum in-
 dustria indagandis occupatus fuit ARISTOTELES †, qui discen-
 do, contemplando, docendo, mirabiles, uti ipse loquitur,
 degustavit voluptates, de scientiae naturalis iucunditate ex-
 posuit, quae tum ex immortalibus rebus, tum ex caducis,
 tam nobilioribus quam vilissimis emanat, ut huius vnus
 autoritas satis esse videatur, ad studii huius voluptatem ce-
 lebrandam et confirmandam. Accedit autem eidem senten-
 tiae CICERO, qui turbulentis romanae reipublicae temporibus,
 quibus a foro excludebatur, scientiae naturalis studium

A 3

exco-

† Libr. I. de partib. animal. cap. 5.



excolens, quantum de hac suauitate senserit, profitetur, *indagatio ipsa rerum*, inquiring, *tum maximarum, tum etiam occultissimarum, oblectationem habet, humanissimaeque animum complet voluptate* †. Ecce vero ex *occultissimarum* quoque rerum contemplatione dulcissimam fatetur prouenire oblectationem, nisi quoniam ipsam difficultatem, iucunditate semper compensari, abunde nouerat? Sunt quidem innumera ab humanis sensibus remotissima; ipsae immortales mortalium hominum mentes, caducis hisce inuolutae corporibus, omnem visus aciem eludunt, indeque de talibus rebus longe pauciora per naturales ingenii vires cognoscere licet, quam de fragilibus, infirmis, et corporeis, quae suo impetu in oculos, aures, ceterosque sensus cadunt; illarum nihilo secius excellentissimarum rerum perexigua licet notitia, tam ingentes delicias contemplatrici suppeditat menti, ut *voluptatis* magnitudo, omnem *scientiae* paruitatem multis modis superet. Inter ea, quae omnibus iucunda sunt, atque oblectatione haud vulgari animos hominum permulcent, *admiratio* numeratur, quae duabus quasi fertur alis, tum causae latentis ignoratione, tum eiusdem cognoscendae spe; neque tantum molestiae ignorantia, quantum voluptatis, ignorantiam deuincendi spes, admiranti offerre consuevit; ita, ut duobus hisce inter se comparatis momentis, iucunda utique censenda sit admiratio. Cur omnes ad meteorum, in aere ex improviso apparens spectandum concurrerent, et obstupefacti, illud patulo intuerentur ore, tametsi, vnde extiterit nesciant, qua vi moueatur, quidue portendat, ignorent, nisi illos haud vulgaris alliceret insolitum tale phanomenon mirandi delectatio? Coelestium stelliferorum orbium perpetua concitataque conuersio, totiusque mun-

† Acad. quaest. Libr. II.

geoelemine dicitur ab I. J. J. J.

mundani systematis, constantissimo ordine continuatus motus, vel mediocri saltem attentione perspectus, quem non, causae licet mouentis ignarum, mirifice oblectet? Gelidi fontis, e durissimi filicis vena scaturientis, immutabilis perennitas, viatorem, nescientem qua ratione intra montium caernas aqua ex aere perpetim gignatur, cum voluptate admirantem detinet. Cum mirabilem magnetis videmus virtutem, cum annulos ferreos in catenulae articulos connectit, cum altero polo appensam acum detinet, altero eandem repellit, cum septentrionis obuertitur plagae, cum tot alii mirabiles ope magnetismi producuntur effectus, tam ad magiam naturalem quam ad ipsam medicinam pertinentes, causam tantorum ignoramus phaenomenorum, attenta tamen mente haec prodigia miramur. Quodsi mentis nostrae adeo suavis est admiratio, quae non scientia est, non sapientia, non addiscendi actus, sed speculandi saltem atque ratiocinandi occasio, cum spe atque desiderio sciendi coniuncta, atque quaedam ad discendum excitatio, quam longe mirabiliores voluptates ipsa causarum peruestigatio erit paritura? Notius est, quam vt copiosiore probatione indigeat, cuiuscunque iucunditatis expletionem iucundissimam esse, eamque voluptatem, quae inde percipitur, cupiditatis magnitudine augeri, ita vt, quo rei consequendae desiderium magis fuerit incensum, eo vehementior ex rei concupitae adeptione nascatur oblectatio. Quis vero est, quin sciat, hominum ita a natura instructas esse mentes, vt rerum omnium cognitionem atque scientiam concupiscant, vehementissimoque ad hanc scientiam acquirendam ferantur desiderio, nisi supina quaedam negligentia, aut foedissima desidia hanc penitus suppresserit cupidinem. Cur enim tantopere *sensus* diligimus, eosque potissimum, qui tam scientiae per *inventionem* impetrandae, quam per *disciplinam* comparandae



randae inferuiunt? cur vacui curis, etiam quid in coelo fiat, vti TVLLIVS ait, scire auemus? cur tot tamque acutis indagationibus, aliena dicta, facta, cogitata percontamur? nonne quoniam *sciendi* sumus appetentissimi? Concludat ergo quilibet, quanta voluptate mens pascatur, quae rerum cognitione satiari potest, quae sciendi cupiditatem ex voto expletam persentiscit. Cum quis e diuturniore bello aut itinere in patriam reuertitur, non propinqui modo atque domestici, sed vicini omnes concurrunt, circumstant, curiosius sciscitantur, intentique ora tenentes, maxima cum voluptate ab ore narrantis pendent, vt quidem per noui aduenae relationes, ignotarum rerum cognoscendarum satianda auiditate delectentur. Quem non antiquiorum temporum res gestae, atque in scientia naturali facta tentamina oblectant? Neque aliunde ista oritur iucunditas, nisi ex cupiditate satiata, quandoquidem priscorum monumentorum annaliumque lectione ea cognoscuntur, quae ante nostra tempora, in re ciuili, literaria, artificiali e. s. p. acciderunt. Denique, si cibus potusque tanta palatum permulcet voluptate, hominemque totum, cuius famem ac sitim, vehementissimas utpote, virium inopiae restaurandae providendi cupiditates, explet, iucundissima reficit suauitate, quid in *discendi* desiderio, rerum atque veritatis cognitionem, generosae menti, omnium rerum scientiam appetenti, praestare putabimus? cum omnibus naturae consideratio, naturale quoque ingeniorum pabulum dici mereatur.

Neque vero in iucundis tantum numeratur, quod discamus, atque cognoscendi cupiditatem expleamus, sed etiam discendo ad illum tendimus statum, qui animo nostro naturalis est, illum videlicet, in quo veritatem cognoscimus, contemplandoque, rebus cognitis et perspectis apte *frui* possimus. In hunc enim finem, diuinum illud
prope-

propemodum animal, coelesti semine factum, hominem nempe, natum esse, admirabilis humani corporis testatur forma, humanusque vultus, solus ex cunctis animalibus ad coeli sublimiorumque rerum conspectum erectus, testantur praeterea omnes sensus, sagacissimi cunctarum rerum aucupes, quorum, tanquam satellitum atque exploratorum opera, mens contemplatrix, omnia, quaecunque rerum vniuersitas complectitur, intelligenter percipere atque cognoscere valet. Quodsi maxime exhilaratur aeger, atque voluptate diffluit, cum *corpus* ex grauissimo morbo restitutum intellexerit, quantam existimabimus *menti* instillari suauitatem, quae diu in profunda rerum ignorantia, tanquam in chronico morbo versata, in multarum rerum lucem atque scientiam, *discendo* progreditur, inque eum statum, naturae impulsu transfertur, qui merito animae sanitas dicendus est. Vti vero in effectuum singularium, quorum causae ignorantur, admiratione non exigua est iucunditas, maior vero in *cognoscendis causis* suauitas, ita certe maxima est in scientiae huius *usu* voluptas. Delectationis plenissimam esse rerum cognitarum contemplationem, illa demonstrant ratio, quod actionem quaecunque naturae conuenientem, intima quaedam et implicata comitatur oblectatio, qua ipsa, ad res alacrius suscipiendas incitatur. Hoc non in edendo, bibendo, ludendo, in hortis deambulando, tantum sentimus, sed in meditando etiam atque scribendo, aliisque quibuscunque operibus faciendis, quae suapte natura laboriosa sunt. Siue adeoque contemplatio, operosior sit actio, siue nullo fiat labore, simili tamen oblectationis respersa est condimento, quo omnes reliquae actiones, naturae conuenientes, sese commendant. In hac vero ipsa contemplatione summam contineri voluptatem, facillime ex veraci ARISTOTELIS probari poterit testimonio, qui cunctarum actionum

B hone-



starum iucundissimam esse decernit, *quae secundum sapientiam fit* †. Non autem ipsi sermo est de iucunditate *admirationis*, quae cum *inscientia* coniuncta est, non de philosophiae dulcedine, quae in *discendo* est posita, sed de illius contemplationis voluptate, qua homo, vberima rerum scientia completus, atque hinc sapiens, in iisdem subinde studiosius recognoscendis occupatus est, humanaeque felicitatis sine hoc suo studio potitur. Duo nempe iucundarum rerum genera natura procreavit, alterum earum, quae minus perfectae, tunc saltem delectant, cum aliqua per illas cupiditas expletur, et quae extra illam satiandae cupiditatis necessitatem, parum iucundae habentur. Saepissime evenit, delicatissimos homines, cum fames et inopia vrget, vilissimis atque acerbissimis oblectari cibis, quos ceteroquin nauseantes respuere consueverant, cum sola desideria, optimi condimenti loco esse soleant. Alia, vere iucunda sunt, quoniam nec vacuitas, nec indigentia, nec libido, sed insita ipsis vis, suavitatem impertit. Naturae, coeli, omniumque causarum contemplatio, scrutatoribus dulcissima est atque voluptatis plenissima, non, quod per eam vlla vacuitas mentis expleatur, non, quod sciendi desiderium satietur, quoniam cuncta iam abunde satis didicerunt, sed quod in frequentiore harum rerum iam cognitarum *reiterata* subinde contemplatione, noua semper renascitur iucunditas. Si tabulam, a dexterrimo artifice pictam, saepius spectemus, omnesque eius perfectiones curatius contemplemur, symmetriam, colores, vmbra, eminentiam, recessus, affectus, extremas lineas intueamur, nihil certe amplius nos latet quod cognoscere possimus, omnia potius nobis nota sunt, quae pictura talis complectitur; cur tamen toties ad eam

† Ethic. Libr. X. cap. 7.

eam denuo respiciendam animus oculusque noster reuertitur? nonne quoniam res *suapte natura* iucunda est, indeque vel centies spectata, semper adhuc delectat? Vidimus saepissime nitidissimos hortos, suauissimis floribus amabiles, splendidissima aedium priuatarum et publicarum ornamenta, musea, omnis generis apparatu tam naturali quam artificiali instructissima; cur vero ad haec oblectamenta centies per aetatem percipienda trahimur, cum semel vidisse, satis fuisset? nonne, quoniam ita iucunda sunt haec omnia, ut millies licet visa, maxima tamen delectatione oculos animumque pascant atque permulceant? Oculorum nempe sensus, frequente rerum sibi conuenientium inspectione, nulla praecurrente indigentia, maxime delectatur; annon *animum*, rerum iam cognitarum frequentior contemplatio, pari perfundet iucunditate?

Non tamen in hac sola voluptate concilianda, scientiae naturalis posita est utilitas, sed nobiliore praeterea sese commendat praestantia, dum viam ad summam humanam felicitatem parare apta deprehenditur. Ipsi, summi quidem entis obscura saltem cognitione instructi veterum temporum sapientes, *Deum tamen esse* haud ignorantes, perfectissimam ipsius in eo posuerunt beatitudinem, *quod seipsum perpetim inspiciat*. Quod si haec contemplatio omnium est beatissima, atque iucunditate quadam, omnem humanum captum excedente eminens, contemplatio profecto *humanae mentis*, quae Dei est imago, ineffabili hominem repleat oportet suauitate atque felicitate. Veruntamen, obici forte poterat, sensus humanos, aliqua quidem *corporis voluptate* moueri, nullam tamen *contemplationis* percipere suauitatem; quis vero *sentiri* aut *gustari* posse hanc voluptatem existimauerit, quae non sentiri, sed *intelligi* saltem potest? Non enim *corpus* permulcet, sed *animum* suauis-



sine afficit; non *sensu* merienda est, sed *mente*, quando-
 quidem longe nobilioris est indolis, quam ut corporis sen-
 sibus subiiciatur. Quodsi nihil quidquam studio compa-
 ratum habeatur, quod contemplando disquiri possit, quod-
 si omnium rerum ignara esset nostra mens, an dulcedo
 quaedam animis nostris percipietur, cum nihil sit, in quo
 contemplando occupati esse queamus? cum vero plurima-
 rum rerum imbuti fuerimus scientia, ex harum certe con-
 templatione incredibilis subinde capietur suauitas, omni
corporearum voluptatum dulcedine superior. *Corporis* enim
 voluptas, semper fere aliquo stipata est dolore, quem vel
 tollit, vel etiam non raro prouocat: *mentis* vero voluptas,
 omni dolore vacat, omnis molestiae expers est; *illa* finitur,
 quamprimum res, sensibus obiecta, vel sponte sua perit,
 vel aufertur; *haec* vero, nullum habet finem, quandoqui-
 dem res contemplandae, perpetuae, semperque in prom-
 tu sunt, atque ex speculantis voluntate subinde reuocantur.
 Haec mentis suauitas, nisi vi sua, vilem atque abiectam
corporis voluptatem extrudat, numquam contemplationi re-
 rum naturalium assidua satis dabitur opera, quin potius
 mens, uilioribus cupiditatibus inhaerens, ab infaustissi-
 mis hisce constantioris felicitatis impedimentis inquinabi-
 tur, pessimeque corrumpetur. Aptissime certe PLATO, ho-
 minem curru similem esse asserit, cui dirigendo, *ratio* pro
 auriga data sit, quem *animi affectus*, equorum in modum
 ducant; cum vero auriga turpiter ex incuria dormitauerit,
 vel naturalis imperii frena ex ignauia laxauerit, currum
 per deuia, lubrica, atque exitiosa vitiorum atque flagitio-
 rum itinera rapi, praecipitemque ruere, indeque probro-
 sissimos homines, re familiari, patria, valetudine, existi-
 matione atque amicis amissis, in profundissimam miseria-
 rum et calamitatum demergi voraginem. Veruntamen,
 haec

haec frena aut sero nimis comparantur, aut comparata licet, a calcitrantibus mentibus respuuntur. Non hic de sublimioribus, nobis datis praesidiis, quidquam commemorare animus est, ad has animi perturbationes dirigendas mitigandasque necessariis; de solis remediis, humana industria comparandis dixisse satis erit, inter quae, honestissimum omnium sapientiae studio locum assignare convenit. Peritorum aurigarum in curru moderando officium est, ut non equorum solum, verum etiam viarum, attentam semper habeant curam. Simili cura, sapientia naturalis id agit, ut immoderati cursus praecipitantiam, in iuuenilis potissimum aetatis proclivitate praecaueat, atque ab exitioso casu defendat. In hoc omnium sapientum collineant sententiae, dum sapientiam, *mortis esse meditationem* afferunt, non mortem naturalem intelligentes, sed moralem, non necessariam, sed voluntariam, non qua corpus ab anima separatur, sed qua mens ipsa corrumpitur; *illa* videlicet vitam eripit, *haec* vitia supprimit; illa naturae vinculum solvit, haec vim illam vitiosorum appetuum retundit, atque his subiugatis, immortalitatem conciliat. Huius ergo ope, voluptatum illecebrae fugantur, virtutibusque liberrimus paratur aditus. Testem in partes voco CICERONEM, qui suavissimum hunc sapientiae fructum sese degustasse profiteretur †, postquam forensi tempestate diu multumque iactatus, e publicorum negotiorum fluctibus, contractis velis, fallacissimae popularis aurae plenis, solitudine nunc delectatus fuerit. De naturae enim contemplatione differens, *erigimur*, inquit, *elatiores fieri videmur, humana despiciamus, cogitantesque supera ac coelestia, haec nostra, ut exigua et minima contemnimus.* Haec est illa sapientiae

B 3

† Academic. quaest. Libr. II.

† De la part. Libr. XIII. cap. 1.



tiae et studii naturalis vtilitas, qua animum a sordida sensuum abiectarumque voluptatum seruitute auocat. Quid enim pulcrius, quid homine dici poterit dignius, quam non solum cuncta *naturae* negotia nosse, verum etiam in *sui ipsius cognitione* omnem ponere industriam? Haec sui cognitio, corpus humanum, animi domicilium, tanto naturae artificio fabricatum, tamque concinne ornatum, omnium merito mentes, non solum ad sui contemplationem inuitat, verum etiam in stuporem abripit, ipsumque GALENUM, vt in religiosissimas exclamationes atque numinis laudes erumperet, compulit†, dum corpus humanum, animo, diuinitatis participi, non accommodatius esse, profiteretur.

Vberiora longe, scientiae naturalis studium commendandi supersunt argumenta, his generalioribus tantum propositis plenius corroborandis iungenda, ex ipsorum corporum naturalium mira vicissitudine atque vtilitate petita, in alius tamen temporis opportunitatem seponenda, cum nunc publice commendandus sit

VIR PRAECLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
 DOMINVS
 IOANNES GOTTLIEB DAEHNE

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER
 MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

qui id sibi sedulo agendum esse, prudenter intellexit, vt solidam disciplinarum medicarum, atque omnium, quaecunque tam secundum quam praeter naturam in corpore humano contingunt mutationum cognitionem acquirendo, constantes quoque studiorum suorum fructus meteret. Quo
 vero

† De vsu part. Libr. XIII. cap. IX.

De vsu part. Libr. XIII. cap. IX.

vero confilio haec omnia peregerit, et quibus ducibus vsus fuerit, ex vitae eius ratione, de qua ipse scripsit, intelligetur.

Haec ipsa litterarum et bonarum artium florentissima vrbs, natale mihi solum praebuit, in qua sum editus in lucem anno seculi huius LV. die V. Octobris. Patrem veneror IOANNEM GERHARDVM, vr- bis machinarum hydraulicarum rectorem, qui me suscepit e coniuge IOAN- NA ROSINA VIERERMELIA. His optimis parentibus adhuc per Dei gratiam fruor, et quam diutissime frui opto. Nam et maximam curam in me educando adhibuerunt, praesertim qui filius primogenitus essem, neque unquam de magnitudine sui erga me amoris quidquam im- minuerunt. Itaque si pius esse volo, non possum non iis et longam vi- tam et omnium rerum prosperitatem quotidie apprecari. Tradiderunt me primo in disciplinam domestici praeceptoris HERMANNI, et post eum SCHLAVCHII A. M. qui nunc apud Badgendorfenses in Thuringia verbi diuini ministerio fungitur. Ab his non solum pietatis Christianae, sed etiam litterarum humaniorum elementa et principia me accepisse gra- tus recordor. Quum flagrarem puer cupiditate artis chemicæ ac phar- maceuticæ addiscendæ, anno LXVIII. traditus a patre sum GAL- LISHIO, Viro eius artis peritissimo, cuius in hac vrbe celebris est nitida et instructissima officina. Ibi per sexennium commoratus, quum interea non solum huic arti, sed etiam litteris et Latinis et Gallicis operam de- didissem: cupiebam medicinae studio penitus me dicare. Aduersari primo videbatur parentum voluntas: sed moti auctoritate amicorum, qui meam causam apud ipsos agebant, consenserunt. Igitur LXXIV. ciuium academicorum numero sum adscriptus, BOSIO rectore. Antequam au- tem ipsas Professorum scholas cum fructu frequentare possem, opus erat me in Latinis litteris plus exerceri, et praeterea etiam in Graecis insti- tui. Qua in re mihi operam dederunt HESLERVS A. M., qui postea scholae apud Saalfeldenses Conrector factus, mortem obiit, LVND- BLADIVS, Suecur, Lipsiae tum studiorum causa versans, et FVR- STENHAVPTIVS, nunc scholae apud Luccavienses Conrector. Ho- rum omnium fida et diligens fuit opera in me docendo et erudiendo. Ex b. HESLERI priuata institutione hausi etiam Philosophiae ac Mathema- tum initia. Mox Religionis dogmata et Philosophiam omnem docuerunt

me

me PEZOLDVS, cuius etiam examinatorio logico practico interfui, et b. CRVSIVS, a quo etiam Religionis doctrinam ex Historia illustratam accepi. Mathematicas disciplinas tradiderunt mihi BORZIVS, CHRYSSELIVS, qui nunc apud Merseburgenses aedificiis exstruendis praest, et RIDELIVS. Historiam catholicam WENKIVS; Physicam experimentalem, LVDEWIGIVS maior. ZEVRIVM, qui nunc Vitebergae docet, audiui, quum Rhetoricam artem exponeret, Celsique de medicina libros interpretaretur, et apud eum ingenii atque orationis facultatem disputando super rebus ex Philosophia petitis exercui. REZIVS, quem in litteris tum Latinis tum Graecis secutus sum, ita de me meruit, ut qui maxime: nam singulari quodam in me amore ductus, proprias et peculiare mihi horas attribuit, quibus me doceret ac subigeret: ut, si quid in hoc genere profeci, totum id ex eius disciplina profecerim. Sed etiam CLODIO Ciceronis officia; MORO aliquot locos Diodori Siculi, Polybii, Dionysii Halicarnassensis et Iosephi; ERNESTIO Rhetoricae artis praecepta explicanti, assedi auditor: FORBIGERI denique scholis Latinis frequenter ac diligenter interfui. Quibus viris omnibus quantum debeam, fieri non potest, ut unquam obliuiscar. Interea propius ad medicorum scholas coepi accedere. Corporis humani fabricam egregie mihi BOSIVS demonstravit: cuius Viri erga me benevolentia post etiam factum est, ut mihi potestas concederetur aegrotorum in nosodochio publico visendorum. Idem excoluit me per examina, et per exercitia scribendi ac disputandi: multisque aliis rebus me ita sibi devinxit, ut videar impie facturum, nisi eum et colam et venerer. Anatomiam in cadaueribus excellenter me docuit HAASIVS: cuius etiam examinatorium anatomicum, et lectiones quibus organorum sensoriorum structuram exposuit, frequentavi. POHLII non solum scholis anatomicis, verum etiam botanicis, institutisque ab eo excursionibus botanicis interfui: et quum de anatomicis ac physiologicis rebus apud eum disputando et examina subeundo, me diu exercuerim, potui aliquantum in his doctrinis procedere. Historia medicinae a PLAZIO tradita, Viro Magnifico, longe mihi et ad voluptatem iucundissima et ad studium acuendum utilissima fuit. Medicinam forensis docuit me, qui nunc est Magnificus Academiae Rector, PLATNERVS. In Physiologia duos habui magistros, LEONHARDVM, qui nunc Professor est Vitebergensis, et GEHLERVM, a quo Viro etiam artem obstetriciam, praecipue autem instru-

instrumentorum obstetriciorum usum et aptam applicationem didici; quum ab eo propriis horis instituerer: quo maior illi a me gratia debetur. Chemicæ ac Pharmaciae subtiliorem scientiam hausi e praelectionibus b. GAL- LISCHII filii. Chirurgicas operationes in cadaueribus institutas ostendit mihi, et rationem earum praeiuit HEBENSTREITIVS, Chirurgus peritissimus. Pathologiam, Semioticen, Therapiam generalem, Praxin clinicam, Chirurgiam, et denique morborum infantibus priorum notitiam accepi a KRAVSIO, cuius examinatorias quoque scholas frequentaui. Non me poenitet, quantum hoc praestantissimo duce usus profecerim in morbis tum cognoscendis, tum curandis. Ab eo tempore mihi curae fuit potissimum practica medicinae pars. Quare anno LXXVIII, quum REICHELIVS, celebris Medicus Practicus, quem praematura nuper morte defunctum, quoad viuam lugebo, me sibi famulum in aegrotis ob-eundis adiungere voluisset, ego illi me libentissime addixi, et ab eo tempore usque ad ipsius mortem per quinque annos ei opera mea seruiui. Cuius rei maximum sane fructum mihi tulisse videor, quod ita mihi et praxis familiarior facta est, et aditus ad eam exercendam apertus.

Anno LXXVII. a Gratiiosa Medicorum Facultate sum ad examen theoreticum admissus, et eo superato, Baccalaurei honoribus die XVI. Iulii condecoratus. Anno LXXIX. die XXIII. Ianuarii, Ampl. Philosophorum Ordo contulit mihi Magistri dignitatem. Praelectiones pro Licentia anno LXXX. a die XXX Octobris per quatuor solemnes dies publice habui de Morbis hereditariis. Hoc anno die V. Aprilis, alterum examen, idque rigorosius, a me superatum est. — Eodem hoc anno, die XXXI. Maii, ut Magistri Legentis mihi acquirerem iura, Dissertationis physico-chemicae de Aquis Lipsiensibus primam partem, assumpto ad respondendum socio KOELLNERO Med. Bacc. amico suauissimo, publice defendi.

Sodalium nomine, qui mecum vel examinabantur, vel disputando exercebantur, fuit mihi aliquoties gratulationis epistola scribenda, si qui nostro e numero summis in arte salutari honoribus ornarentur. Per eam occasionem edidi hos tres libellos: de aromatum vsu nimio neruis noxio: de Medicina Homeri: de consensu partium fluidarum et solidarum corporis humani, per exempla illustrato. Etiam in Commentarios de rebus in scientia naturali gestis, aliquid passim a me conscriptum inseruit b. REICHELIVS qui praeerat illorum editioni.

C

Cum



Cum adeoque Candidatus noster post complura doctrinae suae documenta edita, in altero rigorosiore examine ad quaestiones practicas *Recte* respondisset summis honoribus dignus iudicatus, veniam nactus fuit, cathedram conscendendi, ex qua moderante Exc. GEHLERO, Collega coniunctissimo, suam *de aquis Lipsiensibus* erudite admodum conscriptam Dissertationem aduersus dissentientes tuebitur.

Postquam haec omnia a Candidato nostro praeclare peracta fuerint, honorum quoque praemiis condecorabitur, atque Licentiam, summum in arte medica capiendi gradum, a me, *Procancellario* ad hunc actum clementissime et legitime constituto, impetrabit, facultate insimul data, locum in Ordine nostro suo tempore occupandi. Observantissimis autem atque humanissimis, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, PRINCIPES CELSISSIMOS COMITES ILLVSTRISSIMOS, GRAVISSIMOS VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES, NEC NON GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQUE VNIVERSITATIS NOSTRAE LITERARIAE CIVES, exoratos cupio precibus, vt huic festiuitati, proximo *Veneris* die V. Sept. frequentes interesse, atque me, *de laudibus vini*, cum Candidatus noster inter aquas et opera hydraulica disputando versatus fuerit, breui carmine praefaturum, beneuola audientia dignari haud grauentur; cuius beneficii, meo Ordini mihiq; tributi, me memorem gratumque fore praeconem, hisce spondeo.

P.P. Dominica XI. post Trin. Fest. A. R. G. MDCCLXXXIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA SOMMERIA.

